
PRAEFATIO.

QUAE me caussae impulerint ad operam meam Euripidis Heraclidis impendendam, nec satis scio, nec, si sciam, quidquam lectoris interest ut dicam. Magis operae pretium videtur, pauca de instituto meo operisque ratione praefari.

Ipsis poetae verbis, textum vulgo vocant, Aldinae editionis collationem subjeci, eo scilicet consilio, ut primo aspectu cernere posset lector, quid his trecentis et amplius annis in emendatione nostrae fabulae tot eruditorum virorum ingenio atque industria profectum esset. Quid autem eorum cuique deberetur, quae etiam editiones singulorum locorum veram scripturam primae exhibuissent, in annotationibus commemorandum reservavi. Non solum singularum vocum et singularum literarum varietates diligenter enotavi, saltem enotare volui, verum etiam accentus et spiritus Aldinae editionis nunquam celato lectore mutavi. Quod etiam de *ιωτα* subscripto dictum velim, praeterquam in *καγω* et similibus, in quibus diphthongum pro simplici vocali satis constanter exhibet Aldina. At vero distinctionum notas, praeter interrogationis signum, tacite plerumque mutavi. Toties enim in hac re peccavit Aldus, ut si errores ejus diligenter exhibuissem, magnam lectori molestiam sine ulla utilitate attulissem.

Non est hujus loci de singulis Euripidis editionibus copiose dicere. Cum vero passim in annotationibus *Edd. Recentiorum* mentionem fecerim, non ignorare debet lector, sex tantum esse editiones, quae quidem hanc fabulam exhibeant, quas *Veteres* appellem: Aldinam scilicet, tres Hervagianas, Brubachianam et Stiblinianam. Reliquas omnes, quarum prima est Canteriana, anno MDLXXI. in lucem emissa, *Recentiores* appello. Eundem autem fere locum inter Euripidis editores obtinet Gul. Cante-